[illegible] u. Gesellschaft
S. 17.

Habendarum

INDEX SCHOLARVM

AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

FRIDERICI GVILELMI IIII.

IN

LITTERARVM VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA
RHENANA

PER MENSES HIBERNOS A. CIƆIƆCCCXXXXIIII. ET XXXXV.

A DIE XV. M. OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABENDARVM.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGII.

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE
RHENANAE

RECTOR ET SENATVS

COMMILITONIBVS

S.

Praeclara est Trinummi IV, 1 reducis Charmidis gratulatio, gravissimis ea concitatissimisque octonariis perscripta. Quos versus ut penitus sentiatis quali iudicio *pessime currere* dixerit, qui mire sagax interpolationum vestigator nuper extitit, totam scenam infra posuimus emendatius scriptam.

Sálsipotenti et múltipotenti Ióvis fratri aetherei Neptuno
Laétus lubens laudés ago, gratas grátisque habeo, et flúctibus salsis,
Quós penes mei fuit potestas, bónis meis quid foret ét meae vitae,
Quóm suis me ex locis in patriam usque úrbem incolumem réducem faciunt.
Atque tibi ego, Neptúne, ante alios déos gratis ago atque hábeo summas.
Nám te omnes saevómque severumque, ávidis moribús commemorant,
Spúrcificum, immanem, íntolerandum, vésanum: ego contra ópera expertus.
Nám pol placidum te ét clementem eo usqué modo, ut volui, usús sum in alto.
Átque tuam hanc apud hómines gloriam aúribus iam accéperam ante:
Paúperibus te párcere solitum, ditis damnare átque domare.
Abi, laudo: scis órdine, ut aequomst, tráctare homines: hóc dis dignumst,
Sémper mendicis modesti ut sint, secus nobilis apud homines.
Fídus fuisti: infídum esse iterant. Nam ábsque foret te, sát scio, in alto
Dístraxissent dísque tulissent sátellites tui miserum foede,
Bónaque item omnia úna mecum pássim caeruleós per campos: —
Ita iam quasi canés, haud secus navem círcumstabant túrbine venti:
Imbres fluctusque átque procellae infénsae fremere, frángere malum,
Rúere antennas, scíndere vela: — ni pax propítiá foret praesto.
Ápage a me sis: déhinc iam certumst me ótio dare: sátis partum habeo,
Quíbus aerumnis déluctavi, fílio dum divítias quaero.

Sét quis hic est, qui in pláteam ingreditur cúm novo ornatú specieque?
Pól, quanquam domi cúpio, opperiar: quam hic rem agat, simul ánimum advortam.

Duo in hanc scenam cadunt a communi usu comoediae aliena: orationis genus supra vulgarem consuetudinem vitae quotidianae assurgens poeticumque colorem sumens, et prosodiacae rationis quaedam licentia, modica quidem illa, sed tamen abhorrens a senariorum septenariorumque severitate ac propria octonariorum anapaesticorumque. Et huc quidem pertinet correptum v. 5 extremo *atque*, bisyllabumque v. 20 *filio*: pro quibus perfacile fuerat substituere *et* et *gnato*. Poetici autem dicendi generis statim ab initio exemplum extat *aetherei*, palmari Bothii coniectura ex *et nerei* erutum: quando N et H in codicibus tam sunt similes, ut saepe dignosci prorsus nequeant. Nec nunc puto suum illud *aequoreo Neptuno* Antonius Reinius meus tenebit, Quaest. Plaut. (Crefeld. a. 1834) p. 16 propositum. — Item in poeticum genus convenit v. 2 *gratas gratisque habeo*, secundae voci postposita particula: (nam *laudes gratas* cave coniungas:) propius enim ita ad fidem librorum, in quibus est *ago et grates gratiasque habeo*, Bothius accessit quam hanc versus formam commendans Goellerus: *Laétus lubens laudés ago, gratisque hábeo gratas flúctibus salsis*, quamquam *et fluctibus* non est sane (quod ille ignorabat) in Palatinis, sed *e fluctibus*. Tantum autem recte uterque sensisse videtur, ferri non posse ab Hermanno receptum *laudés ago ĕt gratis grátas habeo:* nequaquam enim cum correpto *atque* hoc comparandum, quod multo est durius et vel horum versuum licentiam excedens. — Ab eorundem gravitate v. 3 abhorret levium trochaeorum lenissima aequabilitas *quós penés mei potéstas:* quapropter servandum *fuit* ab Hermanno additum. Idem autem etsi sine caussa *quid* collocavit ante *bonis meis*, tamen facile dubites num forte recte *meae* deleverit, quo omisso et gratior fieri oratio videri potest nec suo accentu *foret* caret: *bónis meis quid fóret et vitae.* Incredibiliter hunc versum Bothius pervertit, prorsus neglecta bonorum librorum memoria, in quibus nihil discrepantiae praeter *Quõ* (vel *Qm̃*) *penes me* pro *Quos penes mei*, et *mis* pro *meis*. Quod cum fuissent qui genitivum interpretarentur pro *mei* positum: id recte aspernatus Goellerus pravo tamen iudicio in eo utitur, quod has formas a Plauto omnino alienas dicit: quarum vel in Trinummo certissimum exemplum ex Ambrosiano codice prodiit II, 2, 62:

Vt ita te aliorúm miserescat, né tis alios misereat.

V. 4 e Palatinorum scriptura *urbis cūmā* (vel *cumam*), quae syllabae a deterioribus libris absunt, non felicissimo successu alii alia effinxerunt: *urbisque moenia* Camerarius inusitata sententia; *urbis cunam* satis mirabiliter Bothius: *urbem Cumam*

is, quem non vigilantem, sed dormitantem somniantemque veteres scriptores tractare hoc ipsum exemplum docet: praeterea asperrimo uterque hiatu; *atque urbem usque in meam* Hermannus. Et *urbem usque* ego quoque in *urb iscu* latere puto: sed ex iisdem *cū* litteris cum proxima *mā* syllaba sociatis haud scio an probabiliter *incolumem* iam Gronovius eruerit, in quod Windischmannus quoque incidit Mus. Rhen. I, p. 118, cuius tamen reliqua disputatio fine excidit. Est enim, si quid video, hic locus ex eorum multitudine, in quibus paucularum litterarum reliquiae indicio integrarum vocum sunt. — V. 5 *ego* addidit quidem Camerarius, sed addidit e Palatinis: quorum collocationem verborum *ego Neptune tibi* (nisi quod miro errore *neque* post *ego* Decurtatus inseruit) vix dubito quin significantius cum Bothio ita uti fecimus, quam sic corrigas cum Hermanno: *ego tibi Neptune*; quanquam utroque modo *tibi*, in quo vis est sententiae, fortius intenditur, sive illud ictu versus acuitur, sive ab initio enuntiati ponitur. Eidem Hermanno *gratis* debetur pro *gratias*. — V. 6 *atque* in libris ante *avidis* insertum cum Bothio sustulimus: quo servato minus probabiliter Hermannus *saevom severum*. — V. 7 ab Hermanno adiectum *ego* prorsus necessarium esse neminem praeteriit. Eiusdem praeclara emendatione proximus versus restitutus: nisi quod e librorum scriptura o m n i u m *Nam pol placido te ét clementi meo usque modo ut volui usus sum in a l i o* recte etiam *eo* pronomen Lindemannus servavit, quem in hac una scena rara fortuna usum aliquoties verum vidisse eo magis miror, quo eum compertius habeo per reliquam fabulam universam s u o quidem iudicio vix bis terve aliquid profecisse. Quanquam ne ita quidem potuit non simul in leviore certe re peccare: nam non sic illa pronuntianda sunt: *eo úsque modo ut volui úsus sum in alto*, sed in hanc rationem potius: *eo usqué modo ut volui usús sum in alto.* Nec unquam dactylum dactylus in his versibus excipit. Bothium autem mirere spreto accusativo, quem e *clementimeo* felicissime Hermannus eruit, praetulisse *placido te et clementi*, tulisse autem ineptum *m e o usque modo.* — A v. 9 graviores turbae incipiunt. Tales enim in Vetere codice proximi versus exstant:

Atque hanc tuam gloriam iam ante auribus acceperam et nobilis apra homines,
Pauperibus te parcere solitum, divites damnare atque
Domare . abi laudo scis ordinē ut aequunct
Tractare homines . hoc dis dignunst . semper mendicis modesti sint.
Fidus fuisti infidum esse iterant . nam apsque foret stat scio in alto
Distraxissent disque tulissent satellites tui me miserum foede e. q. s.

A quo exemplo in his tantum Decurtatus discrepat, quod v. 1 habet *nobiles apud*, v. 2 *dampnare*, v. 3 *ordinem ut aequumst*, v. 3 *dignumst* et *sunt*, v. 5 *absque*

foret te sat, et a m. pr. *altum*. Primi autem versus verba extrema *et nobilis apud homines* cum intelligi non possent, suscepta Brantii mutatione *nobilem* satis et licenter et invenuste Bothius sic scripsit:

Atque hanc gloriam tuam ante auribus nobilem iam acceperam ad homines:

spurcissimum autem versum Lindemannus hunc procudit:

Atque ego hanc tuam gloriam iam ante acceperam nobilem apud homines.

Praeterea parum credibile est uno dimetro octonariorum, e quibus haec scena constat, aequabilem continuitatem turbatam esse: id quod in diversissima ceteroqui horum versuum dispositione illis quidem criticis commune est cum Camerario. Is enim cum dimetrum his verbis comprehenderit: *Abi laudo scis ordine ut aequomst*, Bothius absonam prorsus formam hypercatalectam constituit *Semper mendicis modesti sint*, Lindemannus autem sic *certissima* scilicet *coniectura* (ipse enim ait) conglutinatis duobus enuntiatis:

Semper mendicis modestis fidus fuisti, infidum esse iterant:

dimetrum voluit hunc esse: *Nam absque foret te, sat scio in alto.* Contra praeclare evitato hoc incommodo ingeniosissimam viam Hermannus ingressus verba illa *nobilis apud homines*, ut de sua sede traiecta, ascivit ad inferiora cum iisque in hanc tetrametri structuraeque speciem iunxit:

hóc dis dignumst.

Sémper mendicis modesti ut sínt, secus nobilis apud homines.

Ita ne *et* quidem illud neglectum est, ex *ut* corruptum, solum autem *secus* praeter libros additum. Nihil autem frequentius quam traiectis versuum particulis simul excidisse aliquid. Et ut a l i q u i d audaculi haec Hermanni ratio habeat: (nam m u l t u m habere haud concesserim, quoniam, si a veri similitudine non abhorret quae caussa cogitatur corruptelae, nihil refert, quam late pateat quod e caussa illa consequens sit:) at in tanta depravatione librorum Plautinorum quis nescit frequenti usu evenire, ut quavis arte sententiae integritati potius numerorumque concinnitati consulendum sit, quam sola emendandi l e n i t a s curanda? Sed vel sic tamen de sententia mea cedam omnemque rationem illam missam faciam, simulatque viam monstraveris, qua eorum quos tractamus versuum primus probabiliter conformetur servato quidem illo additamento quod est *nobilis apud homines:* quod persuasissimum habeo nullis machinis effectum iri. Persanatum autem ne ab Hermanno quidem puto, qui parum gratis incrementis auctum sic constituit:

Átque ego hanc tuam glóriam auribús quidem iam accéperam ante.

Mihi talis fuisse hic versus videtur, ut simul caussa appareat, cur huc potissimum a

sua sede avulsus exitus ille *nobilis apud homines* illaberetur:

Átque tuam hanc ***apud hómines*** *gloriam aúribus iam accéperam ante.*

auribus enim, quod minime supervacaneum, illi opponitur, quod antea dixerat *opera* se expertum. — In proximis Bothius quo longius ab Hermanniano finiendorum versuum exemplo recessit, eo turpius lapsus est: quod taedet persequi uberius. V. 14 *sátĕllites tui* merito defensum est, item merito servatum *miserum*, utrumque contra Hermannum, qui *tui satellités me foede* transposuerat. Vtramque vocem, *me miserum*, codices sociant. — V. 15 *item omnia* Hermannus: libri *omnia item*. Eidem v. 16 *turbine* debetur pro *turbines*, quod etiam in Ambrosianum irrepsit, e cuius schedis superstitibus una ab hac ipsa voce incipit. Sed eodem versu etsi sine offensione est *navem* una syllaba pronuntiatum, non potest non displicere accentuum perversio *circúmstabánt:* ut aut *navem circumstabant* aut *circúmstant navem* praestet. — V. 17 *fluctus* sine caussa Hermannus: *fluctusque* cum ceteris Ambr. Mancum aliquot syllabis versum Hermannus olim in *confregere* mutato *frangere* supplevit: quod iam non tutabitur. Nihil tam apte ab Lindemanno per totam Trinummum excogitatum quam ante *frangere* insertum *fremere* verbum. Exciderat hoc iam in Ambrosiano. — V. 18 *ni tua propitia pax foret praesto* Ambr., *ni tua pax propitia f. pr.* ceteri. Deletum ab Hermanno *tua* abesse posse negans Lindemannus omisit *foret:* quae omissio vereor ne tam aspera sit, ut ne in hoc quidem liberiore genere ferri queat. Pronomen autem desideraremus sane ut quod maxime, si construendi ratio sententiaeque nexus hic esset: *fregissent* —, *ruissent* —, *scidissent* —, *nisi tu opem tulisses.* At vero tali enuntiato condicionali quis unquam vidit infinitivum historicum adhibitum? qui non notabilis tantum sit, ut ille ait, sed etiam intolerabilis. Hinc igitur hoc potius constructionis genus consequens esse arbitror: *Absque te foret, me distraxissent tempestates: tanta earum vehementia, tam mihi propinquum exitium erat: nisi his discriminibus tandem finis impositus esset.* Videmus enim hic, ut Reisigii verbis utar hoc genus universum docte illustrantis Comm. crit. in Oed. Col. p. 386 sqq., verborum comprehensionem gemina enuntiatione ita cumulatam, ut alterutra loquentis animo in ampliore orationis ambitu paene excidisse videatur. Redundat sane, si severius agas, iterata in fine condicionalis sententia, cuius iam ab initio facta erat significatio *): sed iterata est uberiore inter-

*) Hic quemadmodum gemina protasis simplici dirimitur apodosi, ita simplici protasi duplex apodosis Aeschyli Sept. 211 sqq.: *ἀλλ' ἐπὶ δαιμόνων πρόδρομος* ***ἦλθον*** *ἀρχαῖα βρέτη θεοῖσι πίσυνος, νιφάδος ὅτ' ὀλοᾶς νιφομένας βρόμος ἐν πύλαις,* ***δὴ τότ' ἤρθην*** *φόβῳ πρὸς μακάρων λιτάς.* — Plautini exempli simillimos dicerem prologi Terentiani versus, Phorm. 13 sqq.:

posita descriptione, qua cum propinqui exitii notio tanquam ante oculos ponatur, facillime et sentiendi veritati satis convenienter ad praestiti auxilii cogitationem animus revocatur. Intelligisne igitur, quam commode post dei mentionem ab initio factam (*absque te foret*) in fine potuerit simpliciter *pax* commemorari non addito *tua* pronomine? — V. 19 non dubiam Acidalii emendationem *Apage a me* confirmat Ambr.: in reliquis libris excidit praepositio. In eorundem scriptura *deinde hinc*, e qua satis per se probabiliter Hermannus effecerat *deinde hic*, Bothius perspexit *dehinc* latere, *dehinc iam* praebuit Ambr. Sed verissime Hermannus *me otio dare*, et discrepant ipsi libri, quorum solus Ambr. *otio dare me*, ceteri *otio me dare*. — V. 20 immerito Hermannus librorum memoriam *Quibus aerumnis deluctavi*, (h. e. *satis partum habeo iis aerumnis, quibus* —: id quod vel Bothius assecutus est) posthabuit fallaci Nonii testimonio p. 468 *Cum hisce aerumnis deluctavi*, mutato quidem *cum* in *dum* (quae particula non *deluctavi*, sed praesens *delucto* requirebat) et proximis *filio dum* in *et filio*. Reliquis libris nunc accedit Ambrosianus. Is codex ea quae consequuntur in hanc formam disposita exhibet:

SETQUISHICESTQUIINPLATEAMINGREDITUR
CUMNOUOORNATUSPECIEMQUESIMUL
POLQUANQUAMDOMICUPIOOPPERIAR
QUAMHIC . . MAGATGERITANIMUMADUORTAM

Mira, sed eadem non indocta versuum distinctione aliquoties Ambrosianus utitur. Velut Stichi initium alibi testatus sum his illum pusillis membris dispescere satis singulariter:

Credo ego miseram
Fuisse Penelopam,
Soror, suo ex animo,
Quae tam diu vidua
Viro suo caruit.
Nam nos eius animum —.

Charmidis autem verba si idem ille sive librarius sive grammaticus trochaicis dime-

---

Vetus si poeta non lacessisset prior, Nullum invenire prologum posset novus Quem diceret, nisi haberet cui malediceret: nisi horum postremum versuum insiticium esse et e glossematis conflatum unus e vobis ipsis, commilitones, naviter perspexisse videretur. Cui tam diu obsecundandum intelligimus, quam diu non *dicere*, sed *scribere prologum* poetae esse existimabitur.

tris decurrere voluerit, parum profecto intelligamus, cur ad hos subito transire, quam binis consociatis continuare tetrametros maluisse poetam dicamus. Sed nisi omnia me fallunt, minime ille pro trochaicis habuit, sed pro systemate potius anapaestico:

Set quis hic est, qui in plateam íngreditur
Cum novo órnatu speciéque simul?
Pol, quánquam domi cupio, ópperiar,
Quam hic rém gerat animum advórtam.

Vltimo enim versu duas scripturas *agat* et *gerat* apparet coaluisse; altero autem *novo*, quemadmodum alibi pro una syllaba est, ita nihil impedit quominus ante vocalem pro nulla sit, ut similia sescentis exemplis. Sed tamen, quantumvis per se boni sint versiculi, dubitare licebit, num non magis hic quam in Sticho et alibi verum metricus ille viderit. Quodsi non viderit, nequaquam dubito quin una sola via ineunda sit, qua trochaicos numeros tutemur. Aliquid enim offensionis fateor mihi subnasci *simul* particula, quae quo tandem spectet non satis apparet. Itaque cum in Vetere codice sic distinctos illos versus repperissent:

Sed quis hic est, qui in planteam ingreditur cum novo ornatus peciaque simul?
Sol quanquam domum cupio operiar hic quam hic rem charmides

(a qua forma eo tantum ceteri libri differunt, quod priorem versum a *Qui in plateam* ordiuntur, praeterea *ornatu specieque* et *Pol*, Lipsiensis autem cum ed. princ. in fine *op(p)eriar quam hic rem gerat* praebent:) inde a Camerario *simul* a priore versu divulsum ultimo praemiserunt, nuperi autem editores cum hoc etiam constructionis vinculo nexuerunt. Et pessimos quidem versus Bothius cum pedisequo Lindemanno commenti sunt: quorum ille prorsus vitiata prosodia in *sĭmĭtu* formam *simul* illud mutavit: quo potius transposito hunc Hermannus versum conformavit:

Pól simul, quanquám domi cupio, oppériar tamen, hic quám gerat rem.

Recte factum, quod *domi* probavit Donati in Eunuch. IV, 7, 44 testimonio servatum; de elapsis *animum advortam* non potuit suspicari; sed *simul* adverbium cui notioni rettulerit, parum liquet. S i m u l possunt vel peregrinus ingredi et ingredi Charmides dici, vel uterque opperiri, vel unus sive senex sive peregrinus et ingredi et aliud quid facere: non possunt simul alter ingredi, opperiri alter dici, si commodam volumus cogitandi rationem esse. Itaque, quoniam in ultimum versum glossema irrepsisse Ambrosianus monstrat, (sive *gerit* sive *agat* ab interprete profectum est:) haud scio an eo ipso glossemate pristina *simul* particula extrusa sit, in margine autem ascripta postea superiorem in versum invaserit. Hae igitur me caussae mo-

verunt, ut supra hanc versus speciem proponerem ut a Plauto profectam:

Pól, quanquam domi cúpio, opperiar: quam hic rem agat, simul ánimum advortam.

Nam simul eundem hominem et opperiri velle et observare, id vero nihil vel absoni habet vel incommodi.

De nexu autem sententiarum per hanc scenam sese excipientium ne quid dubitationis relinquatur, sic habeto. Charmides enim *Praeter ceteros* ait *tibi Neptune gratias ago, quem cum communi hominum fama saevum et immisericordem accepissem, in me lenem et benignum sim expertus. Et sane, ne quid celem neve iniuriam tibi faciam, non illud tantum acceperam simpliciter, omnino te et sine ullo discrimine saevum esse, sed certa lege iustoque temperamento modo mitem modo immitem: immitem divitibus, nobilibus, superbis, mitem pauperibus, humilibus, modestis. Vt potius tibi constiteris tantum me quidem servato. Atque hanc agendi rationem non possum quin solam probandam vereque dignam deis dicam.* Iam ab hac generali sententia ad suam se condicionem revocans, summorum quibus obnoxius fuerit periculorum recordatus illuc redit, quod ab initio dixerat, denuo inculcans quod sua maxime interest: *Fidus fuisti, infidum esse iterant.* Quae si paullo plenius explicare volumus ascitaque cogitatione supplere, aut in hanc partem valere possunt: *Sed haec quocunque modo se habent, tantum certum est fidem me tuam expertum esse, cuius perfidiam crepant: nam* — e. q. s., aut fortasse simplicius etiam: *Fides autem illa tua, perfidiae quam vulgo crepant contraria, in me vel primario exemplo enituit, ut quem non e leviore discrimine servaris, sed praeter solitum propitius tanquam praesenti exitio eripueris.* Vtrumque in tanta animi commotione significari ista verborum brevitate potuisse nemo non videt. Nec in eo qui sapiat offendet, quod periculorum illorum, quae modo descripsit, dira recordatione commonitus haec subiicit v. 19: *Apage a me sis,* quorum item duplex potest vis esse, si ad dialecticam severitatem exigere poeticam breviloquentiam volumus, aut haec: *Tanta* i g i t u r *cum sit maris atrocitas, quid mirum si nihil in posterum voluero mihi tecum rei esse, tametsi nunc me servaris;* aut haec, quae quanquam leviter tantum inverso cogitatorum ordine paene eodem redit, tamen propius ad extrema verba (*ni pax propitia foret praesto*) astringitur: *S e d t a m e n, quantumvis paratum auxilium tuum expertus sim, ut denuo tibi confidam, in tanta itineris maritimi difficultate non potero a me impetrare.* — Ceterum quod Neptuni deorumque aequitatem praedicans Charmides nunc de *pauperibus* et *divitibus,* nunc de *mendicis* et *nobilibus* loquitur, apparet levi verborum inconstantia usum una notione divites nobilesque itemque pauperes et ignobiles comprehendere. Ad suam

autem condicionem cum illam laudem accommodat, non continuo mendicis sese annumerat, sed tantum ditibus et nobilibus opponit. Vt nihil profecto repugnantiae cum insipido interprete in eo quaerendum sit, quod *satis se partum habere, dum filio divitias quaesierit*, v. 19 dicit, vel merces e navi efferri iubet IV, 4, 14, vel re bene gesta se redisse testatur V, 2, 58. Nam cum inter divitum nobiliumque et mendicorum humiliumque condicionem multi tanquam gradus intersint, etsi, quo quis propius ad hanc accedit, eo certiorem habet secundum legem illam divinam spem salutis, tamen consentaneum est aliquam deorum lenitatem etiam ad eum pertinere, qui ab hac condicione aliquo intervallo distans non tamen illico in ipsam contrariam partem venit. Et id quidem prorsus cadere in Charmidis personam apparet, honestum civem et industrium, non carentem aliquo peculio, sed ab opulentia et dignitatis splendore satis remotum, suoque labore rei familiaris incrementum aliquod non sine aerumnis quaerentem.

I nunc et luculentissimis versibus 10—20 praeclaram scenam decurtatam in undecim versiculorum ieiunam exilitatem redige; languidissimo exitu gratiarum testificationem Charmideam hoc termina: *Atque tuam hanc apud homines gloriam auribus iam acceperam ante;* hinc autem asperrimo sententiae hiatu ad illa transi: *Sed quis hic est qui in plateam ingreditur?* denique bonum poetam adeo fac delirantem, ut uno tenore has sociasse sententias credatur: *omnes te crudelem queruntur; ego clementem expertus sum: atque talem te praedicari prius cognoveram.*

Particulam vobiscum communicavimus amplioris disputationis, quam integram proponere per aliam opportunitatem academicam propediem licebit. Nunc enim cavendum erat, ne nimis vos moraremur ad eas tanquam studiorum epulas festinaturos, quas in quovis genere largissimas vobis appositas videtis: quibus ita utemini, ut et ad vos pulcerrimi fructus redundent et nos impensae vobis operae ne paeniteat. Sed tamen prius quam vos valere iubeam, illud agendum est, quod cum hoc prooemiandi officio coniungi nuper placuit non mediocri ut arbitramur vestro ipsorum commodo. Quo enim vobis certius de CERTAMINVM ACADEMICORVM, quorum quotannis varia ac multiplex materia proponitur, ratione atque eventu constet, visum est hoc loco vobiscum communicare, quae cum de novissimis contentionibus vestris singuli ordines iudicarunt tum vos tractare per proximi anni spatium iusserunt. Eo autem munere scire vos volumus ita nos defungi, ut non nostra elocutione utamur, sed fidem verborum ab ipsis ordinibus in chartas coniectorum servemus.